

De clysterum emollientium usu in colica suspecto, prolusio inaugurali dissertationi de ictero colicae iuncto ... praemissa / [Johann Christian Stock].

Contributors

Stock, Johann Christian, 1707-1758.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Litteris Marggrafianis, [1757]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/evs82rb6>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

4
IOANNIS CHRISTIANI
STOCKII

H. T.

FACULTATIS MEDICAE
DECANI

DE
CLYSTERVM EMOLLIENTIVM
V S V

IN COLICA SVSPECTO

P R O L V S I O

INAUGVRALI DISSERTATIONI

DE

ICTERO COLICAE IVNCTO

A

DIGNISSIMO MEDICINAE DOCTORANDO


ALBERTO IACOBO HARRSCH

ESSINGENSI

DIE VI. APRILIS A. R. S. CIO MDCC LVII.

DEFENDENDAE

PRAEMISSA.



IENAE LITTERIS MARGGRAFIANIS.

JOHANNES CHRISTIANUS
STOCKHOLM

FACULTATIS MEDICAE
DECANI

CYSTITIS EMOLLIENTIUM

IN COLICA SUPPURA

INAGSTRALI DISSERTATIONE

ACTERO COLICAE INACTO

DIGNISSIMO MEDICINAE DOCTORANDO

ALBERTO JACOBO HARRSCH

DE FREDERICO DAH

LAHESSA

JENNÉ LITTE RIS MAHOGRAFIAMS



§. I.



Colica afflicti quidem in doloribus coli vehementibus leniendis et remouendis anxie fere omnis generis remedia desiderant et inter ea saepe clysteres emollientes eliguntur, vt vitiosa in intestinorum canali contenta ad anum determinantur et eliminantur, atque spasmodicae afflictiones leniantur et tollantur. Tantum vero abest, vt in quauis colicae specie clysteres emollientes dolores colicos mitigent, vel remoueant, vt eadem afflictiones potius exacerbentur, vel crebrius redeant. Si enim clysterem emollientia cum sufficiente quantitate aquae simplicis decocta ingrediuntur, et colaturae olea emollientia adduntur, atque eiusmodi enema calidum iniicitur, omnino partes, ad quas accedit, emolliuntur (vi principiorum physicorum et materiae medicae), hinc consequens est, vt, si iamrum atonia laborent, status hic praeternaturalis augeatur (vi principiorum pathologicorum).

§. 2. Ex physiologicis principiis notum est, quod sine tono naturali nec musculus, nec membrana musculo-
losa, nec canalis musculosa tunica praeditus, adeoque
nec intestinorum canalis se decenter contrahere, nec
contenta rite propellere possit. Quod si ergo per cly-
sterem emollientem coli atonia augetur (§. 1.), vitiosa
contenta nec rite propelli, nec secundum intentionem
excerni possunt: ergo ab iis dependens irritatio spasm-
dica tolli nequit, adeoque dolor diutius durat.

§. 3. Dum fibrae sensiles ad proximam rupturam
tenduntur, oritur dolor (vi principiorum pathologico-
rum), colon vero, teste experientia, in cadaueribus co-
lica flatulenta demortuorum ad incredibilem capacita-
tem expansum, vel penitus ruptum fuit deprehensum,
Si igitur eius modi distensionis spasmodicae eo magis oc-
casio patet, quo maiore colon atonia laborat, ea vero
per clysteres emollientes augetur (§. 1.), sequitur, vt
etiam per emollientes clysteres colica in atonia coli fun-
data exacerbari & augeri possit (§. 2.).

§. 4. Colicae ob canalis intestinorum atoniam
magis obnoxii coli doloribus eo frequentius tentantur,
quo magis atonia illa augetur: et omnes corporis hu-
mani partes, spasmodicis afflictionibus obnoxiae, eo ma-
gis a tono suo deiciuntur, quo diutius in iis spasm-
dica afflictio durat, et quo saepius redit (vi principio-
rum pathologicorum). Quod si igitur per clysteres
emollientes in colica, in atonia canalis intestinorum fun-
data, coli atonia et colicus dolor augetur (§. 1. et 3.),
adeoque etiam diutius durat: omnino patet, quod per
clysterum emollientium vsum, in primis frequentiore,
effici possit, vt colici dolores saepius redeant.

§. 5. Quemadmodum corporis nostri fluida semper magis feruntur eo, vbi minor est resistentia (vi principiorum physicorum), illa autem in corpore nostro vasa minus resistunt, quorum vis physica per emollientia est imminuta: ita, si a congestione in vasis, intra coli tunicas existentibus, tensio spasmodica et colicus dolor dependeat, et per clysterem emollientem illorum vis physica magis imminuatur, facile intelligitur atque perspicitur, quod congestio et tensio spasmodica augeatur, hinc et dolor exacerbetur.

§. 6. In exanthematica feбри, vel ante exanthematicam eruptionem, vel breui post eandem, aliquando colici dolores molestiam creant, vt Medici auxilium desideretur (vi experientiae), sed ab improvida clysteris emollientis adplicatione salutaris naturae motus peruertitur, seu quam vis naturae humanae medica materiam deleteriam ad corporis extima et versus cutim, tamquam partem ignobiliorem, agere conatur, vel actu amandavit, illa ad interiora et ad partes nobiliores facile reuocatur, et hinc symptomata peiora inuitantur.

§. 7. Qua itaque fieri potuit breuitate, demonstrauimus, quod non in quauis colicae specie emollientes clysteres prodesse possint, adeoque, clysterum emollientium vsum in colica suspectum esse, patet.

Haec praefandi occasionem dedit dissertatio inauguralis.

DIGNISSIMI MEDICINAE DOCTORANDI

**ALBERTI IACOBI
HARRSCH**

qui sequentem laudabilis sui vitae curriculum historiam nobis communicauit.

EGO ALBERTVS IACOBVS HARRSCH natus sum Es-
 singae prope Halam Ao. M DCC XXXV. d. xv. Apri-
 lis, omni qua decet obseruantia atque pietate veneror
 patrem IOANNEM IACOBVM HARRSCH Chirurgum
 Essingensem meritissimum, atque matrem REGINAM ex
 stirpe RIEDERIANA ortam. Optimorum parentum pri-
 ma cura erat, vt ante omnia christianae religionis fun-
 damentis imbuerer et deinde in artibus liberalibus, tam
 domi, quam publicis in scholis formarer. Qua de re
 priuatis institutionibus Dn. SCHÜLENI, Pastoris Essin-
 gensis meritissimi, ad annum duodecimum aetatis meae
 magno cum fructu vsus sum. Abhinc iussu optimo-
 rum parentum me contuli ad gymnasium, quod Ha-
 lae Sueuorum floret, in quo Dn. SEYFFERHELDIVM
 Rectorem meritissimum, atque Dn. LEVTWEINIVM
 Conrectorem, nec non Dn. WEISSIVM Praeceptorem
 tertiae classis, fidelissimos litterarum duces habui. Abso-
 luto domestico atque scholastico curriculo, salutavi aca-
 demiam Altdorfinam Noricorum Ao. M DCC LIII. men-
 se Septembri, inque numerum studiosorum receptus sum
 ab Excellentissimo atque Consultissimo SPISIO tunc tem-
 poris gubernacula academica tenente. In philosophicis at-
 que mathematicis Praeceptorem habui Excellentissimum
 atque Doctissimum Professore ADELBVLNERVM. In
 medicis Illustrem Consiliarum Aulicum IANTKE faculta-
 tis medicae Senioremem venerabilem, in botanicis nempe
 et

et medicina legali magno cum fructu audiui. Celeberrimum atque Experientissimum WEISSIVM in Anatomia, tam theoretica, quam practica, itemque institutionibus medicis Praeceptorem veneror fidelissimum. Vsum peculiarem, quem in lectionibus Celeberrimi atque Experientissimi KIRSTENII, Physiologiam, atque materiam medicam demonstrantis, adquisivi, grata mente recordor. Per annum, et quod excedit, ibidem commoratus, Ienam me contuli, et numero civium academicorum adscriptus sum ab Illustri et Consultissimo Consiliario Aulico HELLFELD, tunc temporis fasces academicos tenente. Perillustrem atque Excellentissimum KALTSCHMIEDIVM, illustris et gratiosae Facultatis Medicae Senioremaxime Venerabilem, in publicis lectionibus atque dissertationibus magna cum voluptate, magnoque cum fructu semper audiui. Praeceptorem ad cineres usque veneratione prosequor Excellentissimum atque Celeberrimum STOCKIVM, hoc tempore Decanum Spectatissimum, in Chimia, Pathologia, Semiologia, Materia medica, Arte concinnandi formulas, Methodo mendi generali ac speciali. Etiam Excellentissimum atque Doctissimum Professore FASELIVM Physiologiam, Pathologiam, atque Medicinam forensis docentem haud absque insigni utilitate auscultavi. In Mathematicis Excellentissimum atque Doctissimum Professore WIEDEBURGIVM Praeceptorem habui, in Physicis vero Excel-

lentis-

lentissimum atque Doctissimum SVCCOVIVM, in Logicis denique Excellentissimum atque Doctissimum Professo-rem POLZIVM sedulo frequentavi.

Optimis igitur noster scientiis imbutus mense Mar-
tio huius anni, die eiusdem mensis nono, receptus
est in Candidatorum nostrorum numerum, et in exami-
nibus promptam et solidam ad cunctas quaestiones prae-
stitit responsionem, hinc ab Ordine nostro decretum
est, vt, pro licentia summos in arte salutari honores le-
gitime obtinendi, inauguralem suam *de ictero colicae*
iuncto dissertationem die VI. Aprilis defenderet, cui
actui sollemni vt Magnificus Academiae Prorektor, Ve-
nerandi et Excellentissimi Academiae Patres, Hospites
omnium ordinum Honoratissimi, et Generosissimi, No-
bilissimi, atque Doctissimi Commilitones exoptatissimam
praesentiam suam commodare velint, qua decet Venera-
tione, obseruantia et humanitate, Ordinis mei nomine oro
rogoque. P. P. sub sigillo Facultatis die III. Aprilis

A. R. S. c l o l o c c l v i i .



